
Niniejszy egzemplarz stanowił niegdyś piątą pozycję w klocku Q.V.9, składającym się z następujących pozycji: 1) Levinus Hulsius, Tractatus primus instrumentorum mechanicorum, Francof. 1605; 2) Ditto, Tractatus tertius ..., Francof. 1605; 3) Jo. Kepler, Ad epistolam Jac. Bartschii responsio, Sagani 1629; 4) Jo. Kepler, Admonitio ad astronomos, Frf. 1630; 5) Jo. Kepler, R.P. Jo. Terrentii Epistolium, Sagani 1630; 6) Josef Salomo del Medigo ספר אילים, Amsterdam 1629. Klocek ten, podzielony dziś na części, był własnością Jana Brożka.

Seper Elim





R. P. IOANNIS TERRENTII
è Societate JESU

EPISTOLIUM EX REGNO SINARUM AD MATHEMATICOS EUROPÆOS MISSUM:

Cum Commentatiuncula JOANNIS KEPPLERI Mathematici.

Ejusdem ex Ephemeride Anni M. DC. XXX,

DE INSIGNI DEFECTU SOLIS, Apotelesmata Calculi Rudolphini.



Cum privilegio Cæsareo ad annos XV.

SAGANI SILESIÆ,

Excuderunt Petrus Cobius & Iohannes VViske.

ANNO M. DC. XXX.





Illustrißimo Principi & Domino,

D. ALBERTO, Duci MEGAPOLITANO, FRIDLANDIÆ, & SAGANI; Principi VANDALORUM; Comiti SVERINI; Domino Terrarum ROSTOCHII & STARGARDIÆ, &c.

Imp. Cæs. FERDINANDI II.

Exercituum Ductori supremo, Oceaniq; & Baltis Præfecto Generali,

Domino meo Clementissimo, Patrono munificentissimo S.

ETSI TU QUIDEM, DUX Inclyte, in patrocinio meorum studiorum, quod ex volútate MONARCHÆ Domini mei in Te suscepisti,

consuetam per omnia tua negocia constantiam vsurpasti hactenus, nec quicquam Tua me sunt morata promissa: Typographorum tamen nullus cum prælo proprio, Saganum vt transiret, induci potuit. Itaque Ego, vt Ephemeridum expectationi satisfacerem, hujus & aliorum duorum annorum Ephemeridas Francofurtum ad Mœnum præmisi; si fortè in loco prælis instructissimo, opus hoc, absente etiam authore, ad lucem videndam maturari posset. Postquàm Octobri tandem mense operæ mihi Pragâ submissæ, resq; Typographica ad meam ipsius curã recidit: occupatis nobis in prælo è longinquo asportando, cæterisque instruendis, supervenêre Calendæ: & adhuc Ephemeris anni jam ineuntis, Francofurto revertens, hæret in itinere. Quid agerem, circumventus hinc spacijs locorum, indè angustiâ temporis? Quam strenam Alberto Duci, ex vrbe sua Sagano, mitterem Calendis? Quod initium operarum facerem, congruum professioni, honorificum loco, dignum tanto Patrono, auspicatum inceptis tam arduis? Nimirùm consilium, quod à meâ

non

non potuit, à Tuâ, Dux ſplendidiſſime, fortunâ ſumptum eſt. Tuâ fortitudine in periculis, fide in Monarcham, conſtantiâ in ſuſceptis laboribus, peperiſti Tibi locum inter Principes; ditiones acquiſiviſti per Bohemiam, per Sileſiam, ad mare Balthicum, ampliſſimas: tutela littorum, Oceani præfectura, à Cæſare Tibi eſt commendata. Ex opportuno petit à Mathematicis Europæis, extremus Aſiæ limes, Regnum SINARUM, petunt Mathematici à me, hoc eſt, modò ex vrbe Tuâ SAGANO, conſilium formandis Orientis temporibus, reſponſum ad literas Sinenſes, plura ejus exemplaria, diſtinctis claſſibus mittenda. Tu reſponſis meis novo beneficio, de noviſſimis fortunarũ tuarum acceſſionibus, & locum edendis feciſti, & lucem, ex novo loci prælo dediſti: idem eiſdem editis viam ad Oceanum, per Tuæ præfecturæ territorium aperuiſti: & à littoribus Germaniæ ad littus Eoum Indiæ, planum eſt iter, conflua maria. Tua vox eſt: Non minori virtute retineri opîma, quàm quæri. Oceanum aperuêre Tibi bella: pax vſum ejus præſtare erit apta. Ad illa,

DEDICATIO.

Tibi erant necessarij labores Herculei, severitas inexorabilis, animi magnitudo, vel Saturni meatuum æmula: ad hanc pervenire poteris, superfuso squaloribus illis imbre grato Jovialis, proximâ magnitudine, sideris; justitiâ, inquam, æquitate, amicitiâ, fœderibus, clementiâ. Invia virtuti Tuæ nulla fuit hactenùs, quantùm libet, incredibilis via. Quid ni etiam de reliquo sperem, Te his artibus, hoc pacis studio, facilè obtenturum: vt tempus perferendo ad Sinas responso meo necessarium, quod Terrentius æstimat triennio, quodq́ue navigante ejus Epistolâ, in quartum annū excurrit, Cæsari missis, in biennium; vt hoc, inquam, tempus vel anno terminetur. Centum exemplarium, quæ centenis vehantur navibus, vel ex vno, quod primum pervenerit, legat Terrentius, (audiantq; SINÆ,) quē ipse ex Europa discedens, è regni Bohemiæ procerum Waldsteniorum nobilissima familia vnum, Cæsari militantem audivit; illum minùs quàm 10. annorum spacio, Ferdinando II. Imp. Augusto tot victoriarum administrum virtute fideq; factum, tot à justissimo laborum remu-

remuneratore præmijs mactum, fructum eorum gloriosissimum hunc existimare, si Patronus audiat nostrarum artium: illum, commeationis hujus nostræ literariæ terminū vtrumq; vno quodammodò complexum imperio, literas Sagani, vrbe Ducatus sui, typis expressas, à littoribus præfecturæ suæ dimissas, Æolis suis, Neptunum novum, perferendas, successu fœlici commendasse. Ita voveo, rebusq; voto idoneis conficiendis, Ill^mæ C^i T^æ commodissimum & fœlicissimum annum ineuntem apprecor

Ill^mæ C^is T^æ

Cliens devotus

JOAN. KEPPLERVS.

DE-

DESCRIPTVM EPISTOLÆ EX SINArum Regno missæ.

RR. PP. Mathematicis Ingolstadiensibus

PAX CHRISTI.

MEditantur Sinæ Calendarii sui Emendationem; in quo primarium punctum est, Eclipsium prædictio, et processio Æquinoctiorum. Hac in re non parũ RR. VV. hanc missionem juvare possunt, si mittant, in tali saltem chartula, si plura scribere molestũ sit, si quid novi habeant, præter ea, quæ sunt in supplemento Magini; præsertim in Diametris Luminarium, distantijs a Terra, quando sunt in Apogæo, Perigæo, et reliquis ad computum Eclipsium necessarijs. Forte etiam extabit aliqua nova Hypothesis Lunæ. Non dubito, dum nos absumus, aliqua prodijsse, v. g. Keppleri Hipparchũ, Galilæi aliqua. Eos libros expectare nimis longum est, facilime detinentur, aut pereunt, quod non mittantur pluribus vijs: charta facilius et citius huc pertingit, nimirum intra tres annos. Post biennium absoluto meo cursu Grammaticæ Sinensis, dabitur cōmoditas et sciendi, et scribendi plura. Nunc pauca tamẽ indicabo. A Yao primo Rege famoso incipiunt suas historias Sinæ, easque certas esse aiunt: quamvis a Fochi vsque ad Yao numerent sex Reges, tamẽ historiæ plenæ fabulis; et temporũ nulla certa indicia. Numerant porro a Yao ad hæc tempora fere quatuor millia annorum, procedendo per Cyclũ 60, sicut nos per 15 vel 28. Eo tempore observarunt solstitium prope cuspidem Sagittarij, non memini gradus: ita vt iam hucusque processerit vltra 52. gradus. Congruit multum cum Tychonicis, Paulo post tempora Yao, notatur insignis Eclipsis, quæ dicitur contigisse in secundo gradu Scorpij. Annum dant, nescio an et hora, et magnitudo sciatur. Res differenda est, donec Pekini cum Mathematicis Regijs agã. Habent Arithmeticã similem nostræ, et fractiones in quantitate anni circa tempora Yao diligenter adhibuerunt. Habent etiam quædam problemata Geometrica; nuper vidi 15. quæ superant 3000. annos. In ijs primum est, penultima primi. Zodiacũ dividunt in 28 constellationes. Cor Scorpij vocant cor Draconis, caudam Scorpij vocant caudam Draconis, Caniculam vocant Lupum, Capricornum vocant Bovem. Stellam posteriorem Vrsæ Minoris vocant Regem, quia olim erat prope polum immobilis, quam reliquæ omnes venerabantur. Ante paucos dies accepi librum, vbi totus calculus Eclipsium continetur. Nondum transcriptus est: postquam illũ studuero, et intellexero, Europæ libenter communicabo. In suo computo non errant vltra 2 aut 3 quadrantes, quod mirum, in 4000. annis non plus variasse. Ex Changtsceu, Anno M. DC. XXIII.

RR. VV. Servus in Christo

JOAN. TERRENTIVS.



In R. P. Terrentij Epiſtolium ad Mathematicos Ingolſtadienſes miſſum ex vrbe Sinarum Changtſcheu Anno M. DC. XXIII,

Dillingâ transmiſſum Vlmam à R.P. Alb. Curtio, Anno M.DC.XXVII,

JOANNIS KEPPLERI COMMENTATIUNCULA.

MEditantur Sinæ Calendarij ſui emendationem; in quo primarium punctum eſt, Eclipsiũ prædictio, et proceſſio æquinoctiorum.] *Primùm nota, quòd author ſcribat, Proceſſio, non lapſu graphico, ſed quia lapſus memoriâ, pro eo, quòd Fixæ apud Ptolemæum ab æquinoctiis progrediuntur, ipſe opinatur, æquinoctia ſub Fixis progredi, vt ſequentia teſtantur. Secundò nota, quòd inepta ſint Calendaria vſualia ad Eclipſes & æquinoctia veriſſima, & cœlo conſona, diebus certis vſualis Calendarij alliganda, ſic vt hæc phænomena poſt Cyclos annorum tolerabiles iiſdem anni diebus revertantur. Ex hoc ſequitur tertiò, Sinẽſibus idem eſſe, Calendarium, & Tabulas motuum Solis & Lunæ. Videntur igitur Sinæ nullum certum & ſtatum, & perpetuò vniformem Typum anni habere poſſe: ſi feſta ſua accommodant ad ipſiſſima æquinoctia, adq;*

Ec-

Eclipses ipsissimas Solis & Lunæ. Quartò: quòd si Sinenses vtuntur Tabulis astronomicis loco Calendarij, quæritur cujusmodi, aut cujus authoris Tabulis vsi sint hactenus? Ante annos plus minus 14. legi itinerarium cujusdam religiosi per Tartariam & regnum Mongul (si benè recolligo nomen) in Cathayā, vel, vt ipse conjecit, Sinas ipsos. Author is tradit, duo esse tribunalia præcipua Astronomorum per Sinas, penes quos tanquam Sacerdotes, sit potestas indicendi festa: & majorem esse illius tribunalis authoritatem, ex quo certiores habeantur prædictiones Eclipsium. Author existimat, alteros vti doctrinâ Hipparchi. Sed duo alia opera tabularum occurrunt, de quibus monendus esse videtur P. Terrentius, vt inquirat, an eorum aliqua sint apud Sinas indicia. Prius est, computus Turcarum, secundùm annos Hegiræ, de quo Scaliger & alij. Sarraceni frequentibus navigationibus, totum orientem repleverunt institutis & inventionibus suis. Annus ipsorum est solutus legibus reversionis æquinoctiorum: Lunationes 12, seu dies 354. aut 355. definiunt ipsis annum Arabicum perpetuô: Methodum anni tradidi in Rudolphinis, Tab. f. 37. 38. 39. 40. Eclipses tamen ex ea prædici non possunt.

Alterum opus est tabularum Persicarum, quæ vtuntur annis Jesdagirdis, de quibus Scaliger, & Christmannus. Videntur fuisse tantummodò motuum Solis & Lunæ, & sic Eclipsium: Et ni fallor, has transscripsit Arzachel; vt tandem earum doctrina transsumpta sit in Tabulas Alphonsinas; vt quæ meminerunt etiā Persicæ mensium ordinationis; cum hoc discrimine, quòd Persicæ illæ, quinquedium illud Ægyptiacum, Musteraka dictum, adjecerunt ad finem vltimi mensis Asphandar; Alphonsinæ ad finem mensis Aben. De quo discrimine, cæterisq; hûc spectantibus, ago in tractatu Chronologico, de æris, in Tabulas Rudolphi insertis.

Cùm igitur Regnum Persarum excurrat ad Indos, sintq;

Sinæ Indiæ contermini: perpendendum eſt; num hæc Perſicarum Tabularum doctrina penetraverit ad illa Sinarum Tribunalia.

Quintò, ſi P. Terrentius deſiderat computum æquinoctiorum mediorum) nam inæqualitas eorum incerta eſt, num ſit, & quanta ſit, ſi eſt) facilè ei ſuccurritur ex Tabb. Rud. fol. 102. ſub Titulo Anni Tropici: vbi è regione 50. Sexagenarum annorum, inveniuntur dies $5^{'''}.4^{''}.22^{'}.7.0.0.$ *id eſt, dies 1095727. exacti, in annis Tropicis quinquagies ſexaginta, id eſt, 3000. Et cùm anni 3000. ſimplices Ægyptiaci habeant dies 1095000; patet, quòd reſiduæ 727. particulæ termilleſimæ, multiplicandæ ſint in annos, vt quoties factus, abjectis omnibus 3000. æquat 1500, aut quoties ſuperat, exceſſu minori, quàm 727: toties vnus inſuper dies intercaletur.*

Vel ſi Sinæ non ſunt alligati ad certam ſedem diei intercalarij in Calendario ſuo, vt nos ad 24. Februarij: licebit igitur ipſis poſt dies 1506. inſerere diem, & interdum poſt 1507. dies. Cùm enim ſint intercalationes 727: ſi eæ diſtribuatur in 54. claſſes, ſingulas 16 intercalationum, reſiduâ appendice 7 intercalationũ: ſemper jam in 5ta, 10ma, 16ta intercalatione transſiliamus dies 1507: hoc pacto quamproximè idem obtinebitur, manente obſervatione Cycli tam longi, quod efficeret vſus perpetuus ſcrupulorum 727. termilleſimorum, ſine computantis intentione in Cyclum, more Judaico.

Vel popularius; Intercaletur poſt quatuor annos & vnam octavam partem anni: ſic enim in annis $2998\frac{7}{8}$ *intercalarentur dies 727. & tranſibunt reſidui* $1\frac{1}{8}$ *ſine cenſu, tanquam complementum Cycli. Pro eo enim, quòd poſt vltimum diem anni 3000. eſſet intercalandum vltimò, intercalaretur anno 2998. medio Novembris.*

Sextò, pro longitudine menſis naturalis, & lunaris; nota ex

Tabb. Rud. f. 89. quòd anni Juliani 3400. æquent præcisè Lunationes 42053. ita ut differentia non sit major unico minuto Horæ. Anni verò Juliani 3400. dies habent 1241850: quibus divisis in numerum Lunationum 42053. quotiens seu longitudo mensis naturalis prodit D. $29\frac{22313}{42053}$

Sunt ergò scrupula diei 22313. multiplicanda in numerum lunationum; & quoties à multiplicato, abjectis omnibus integris 42035, residuum æquat 21027, vel superat; toties dies 30 in mense faciendi. Verbi causa, semel 22313. superat 21027. ergò primus mensis habet dies 30. Bis 22313. sunt 44626. abjectis 42053. restant 2573. minus quàm 21027. Ergò secundus mensis habet dies 29. Pro tertio adde 2573. & 22313. summa 24886. superat 21027. Ergò tertius habet 30. dies, & sic consequenter.

Hæc ratio constituendi seriem mensium plenorum & cavorum, Judæis familiaris, nescio quàm sit accepta futura Sinensibus, quàmq; consentanea ipsorum consuetudini in disponendis anni mensibus & diebus. Subjungam igitur etiam modos alios.

Geminus Astronomus ex proximo sæculo ante Christum, tribuit Calippo modum paulò alium: cujus hoc est ingenium, ut omnes omninò menses, tàm ordinarij duodecim, quã intercalarij, censeantur dierum tricenûm: quemadmodum quidem apud Græcos, omnes desinebãt in τὴν τριακάδα. Deindè verò omnibus totius Cycli diebus in Abaco descriptis, certus eorum numerus rursũ est delendus, servatâ æqualitate distantiæ delendorum, quantum fieri potest. Ut quia in nostro Cyclo sunt menses 42053. si omnes fiant tricenarij; dierum summa creabitur 1261590. Subtracta verò hinc verâ summâ dierum totius Cycli, sc. 1242850. restabunt 19740. iterum delendi. Summæ hæ divisæ communi maximo divisore 30, quotientes habent 41395.658. Ita dispesceretur Cyclus

totus in partes 30. inter se similes, quoad dierum numerum: singulæ enim essent dierum 41395. de quibus 658. essent delēdæ. Quòd si deleretur semper sexagesima tertia; caderent tantùm 657. At si decies deleatur sexagesima tertia, & undecimâ vice sexagesima secunda, idq; 59ies repetatur, tandemq; novē ultimis vicibus tantùm sexagesima tertia; ita tandem cadent debitæ 658. Et potest hæc expunctio fieri ordinatior, si novem vicibus non post decies, sed post undecies deletam 63 am, deleatur 62 da.

Hi duo modi non sunt populares; reguntur q; à solo calculo. Nam in primo nullus est ordo Mensium plenorum & cavorum, sed permutantur vices; ut qui aliquandiu pleni fuerant, exindè æquali ferè tempore sint cavi, & vicissim. In secundo omnes promiscuè dies totius anni subeunt fortunam exemptionis, quoties illos ordo tangit: tangit autem illos sine discrimine annorum simplicium vel Embolismalium, Mensium ordinariorum vel intercalariorum.

Addam igitur tertiam modum, qui magis retinet morem Cyclorum. In annis Julianæ quantitatis 3400. insunt Cycli Decemnovennales 179. unico anno minus. Ergò etiam proprietas Cycli hujus, quantum fieri potest, observetur. Sint Menses alternis Pleni & Cavi; intercalentur in annis 19. menses septem, scil. in tertio, sexto, octavo, undecimo, quartodecimo, sedecimo, decimo nono: idq; tamdiu, quoad series Cycli est rumpenda, quod aliquoties in uno Cyclo magno faciendum est. Menses intercalarij sint omnes pleni, ut apud Metonem; Anni autem Embolismales omnes sint æqualiter dierum 384. anni verò communes, communiter quidem censeantur dierum 354. Hoc modo annos simplices habebimus 2147: qui in 354. dies ducti, creant summam dierum 760038. Embolismalium verò annorum erunt 1254: qui in 384. dies ducti, summam faciunt 481152. & summæ in unam conflatæ

faciunt

faciunt 1241190. Habent verò anni 3400. summā 1241850. Itaq; deerunt dies 660. Eos infindemus in annis simplicibus; propterea, quòd ij incedunt diminuti, habentes summam dierum 354. singuli minorem iusto; non infindemus in Embolismalibus: habent enim ij summam 384. maiorem 13 Mensibus naturalibus. Cùm igitur sint anni simplices 2137: si in 13 simplicib. suo proprio ordine numeratis annis, addam dies 4. scil. in 3.6.9.13: vbi hoc factum fuerit 165ies, tunc in simplicibus 2145. accedent 660. nec curâ dignum erit, quòd supersunt duo anni simplices, qui cum ineuntis novæ periodi primis tribus simplicibus, faciunt 5 quibus continuis (more insolito) nihil additur, præterquam in vltimo. Facile enim & hoc emendaretur, si duabus vicibus, pro 13, sumerentur anni 14. sc. annis 4.3.3.4. tunc 3.3.3.4. aliquoties, tunc aliquoties 3.3.4.3. & rursum aliquoties 3.4.3.3. & totidem vicibus 4.3.3.3.

Vel, quia tædiosum est, simplices annos suo proprio ordine numerare, præteritis Embolismalibus: distribuantur igitur hi dies 660. in Cyclos decemnovennales 179. sic vt semper in 16 Cyclis infindantur dies 59. Hoc enim si feceris vndecies; infindes 649. in Cyclis 176: in residuis ergò tribus, infindes dies 11. in vltimo sc. annorum tantùm 18. solos tres. Anni Cyclorum, recipientes diem, sunto 5.10.13.18. sed 13mus annus in omni repetitione Cyclorum sedecim, in Cyclis 3.6.9.12.15. prætereatur. Mensis anni sit sextus, cavus; qui tunc fiet plenus; vt sic dies isti, medij cadant inter duos Embolismos mensis.

In hoc enim modo tertio caveri non potest, si maneat distinctio certorum mensium in ordine plenorum & cavorum; quin in 660. annis simplicibus, toties tres ordine pleni se invicem insequantur, duo menses ordinarij, & vnus intermedius, aliàs cavus, tunc extra ordinem & ipse, suscepto intercalario die, plenus factus.

Horum igitur modorum similis aliquis erit fortasse Sinensibus gratus & acceptus ad instaurandum Anni sui Typum.

Ut verò Lunationes nec pauciores, nec plures in unamquamq; summam annorum tropicorum civilis observationis referatur, quàm par est; & ut sciatur, quis annus lunaris sit simplex, quis Embolismalis: fieri aliter non potest, quàm si duo isti computi, prior anni Tropici, posterior anni Lunaris, juxta invicem incedant, summas dierum in quolibet numero annorum colligentes: ut quoties additio lunaris anni simplicis 354. dierum, summam dierum statuerit, quindecim vel pluribus diebus minorem, quàm erit summa dierum in Tropicis annis totidem; toties enatus sit unus Embolismus 30 dierum, addendorum reliquæ summæ.

Septimò, si verò computanda est Eclipsis Lunæ: hic Cyclus nullus potest excogitari Eclipsium, qui simul etiam annum Tropicum complectatur. Nam etsi motus latitudinis Lunæ ab alterutro nodorum in ducentis viginti tribus suis Revolutionibus, revertitur ferè ad eundem diem Mensis Lunaris: at retrogreditur interim Nodus Lunæ in alia signa, progreditur Apogæum Lunæ; nec exactum planè numerum Mensium continet hoc tempus Revolutionum latitudinis.

Probentur ista. 223. integræ Revolutiones latitudinis, sunt quater tot quartæ, puta 892. id est 14. 52. quartæ: quæ Tabb. fol. 100. excerpunt dies.

	1. 35. 14.34. 0
&	5. 53.45. 32
Summa	1''.41'. 8.19'.32''.

Sed ex Tabb. Rud. f. 88. excerpimus per	1—	0.13. 13.45.39'.32''.40'''.
	41—	9. 2.24.12. 1.19.
	8—	1.45.50. 5.16.
	19—	4.11.21.28.
	32—	7. 3.20.
Summa Graduum		0.22''.18' 0. 0. 4''. 3'''. *Ecce tempus bonũ*

Quia sunt circuli absoluti.

Rursum si dentur dies	1.41. 8.19'.32''.	
Tunc fol. Tab. 100.	1.35.58.27.56.	*dat quartas Lunationum 13'.*
	5. 9.51.36.	
Et	5. 2.41.19.	*dat quartas 41.*
At	5.10. 4.16.	*dat quartas 42.*

Quando ergò præterierunt Revolutiones Latitudinis 223. tunc exactæ sunt lunationes non planè 205½. Et in duplo numero, lunationū 411. fiunt revolutiones latitudinis paulò plus 446. Sed post Lunationes 408, Sol invenitur ferè in loco initiali; ergò post 411. invenitur quadrante ferè ultra initialem. Ita expectandæ sunt Lunationes 1644. & Revolutiones latitudinis 1784. donec ordo Eclipsium revertatur in pristina Zodiaci vestigia; nec tamē id exactè. Est enim tempus una lunatione brevius septem Cyclis Metonicis, seu 133. annis. Itaq; si fuit Eclipsis in ♈, post annos 133. similis contingit in ♓; si tamē Motus Anomaliæ nihil impediat.

Rursū enim si dentur dies 1.41. 8.19.32.
Tunc Tabb. f. 94. 1.36.26.27.32. *dant quartas Anom.* 14.
4.41.52. 0.
Et 4.42.26. 3. *dant quartas Anom.* 41.

Quando ergò præterierunt Revolutiones Latitudinis 223. tunc exactæ sunt Revolutiones Anomaliæ non planè 220¼. Et per quadruplicationem, illis 892. respondent istæ 881. ferè; & deniq; illis 1784. & Lunationibus 1644. respondent anomaliæ 1762.

Differentiam temporariam probabimus ex dictis foliis Tabb.

1784. Vel 29.44.	1644. Vel 27.24.	1762. Vel 29.22.
″ ˋ ′ ″ ‴	″ ˋ G. ′ ″ ‴	″ ˋ G. ′ ″ ‴
29—3.17.17.18.59.24	27—3.19.19.53.23.40	29—3.19.46.14.11.28
44— 4.59.20. 3.59	24— 2.57.11. 0.48	22— 2.31.33. 0.25
3.22.16.39. 3.23	3.22.17. 4.24.28	3.22.17.47.11.53

Latitudo restituitur prima, Lunatio post scr. 25′ unius diei, Anomalia post alia 43′ diei.

Hæc periodus Ecliptica 133. annorum, periodus dici non meretur. Cùm enim 25′ scrupulis diei, id est, horis 10 tardius revertatur Luna ad Solem, quàm ad nodum: gradus respondebunt ad 5. intra quos latitudo valdè alteratur, & loco totalis Eclipsis, partialis reverti potest; loco partialis, Eclipsis sæpè nulla.

Cùm ergò brevior Cyclus Eclipsium sit nullus, longior etiam, sit inutilis ad tempora politica: restat, ut Sinenses Tabulis utan-

tur motuum Solis & Lunæ quibuscunq; , easq; emendare nitantur. Hæc ad principium Epistolæ. Sequitur jam in ea.

Hac in re non parum hanc missionem iuvare possunt, si mittăt, si quid novi habeant: præter ea, quæ sunt in supplemento Magini] *In hoc Magini libro sunt Tabulæ motuum Solis & Lunæ, ex Tychonis Brahe Progymnasmatum Tomo I. Eæ vtplurimũ invariatæ transsumptæ sunt in Tabb. Rudolphi; quătum ad Epochas præsentis temporis. Observationes verò vetustissimæ paulò diligentiùs à me sunt accommodatæ. Itaq; satisfactũ iri puto, desiderio scriptoris, si mittatur pars tertia Tabb. Rud. puta, duernio M, & principium duernionis N.*

Præsertim in Diametris luminarium] *Apparet scriptorem malè concoquere, quòd Tycho Brahe diametrum Lunæ in Novilunijs exhibet minorem, quàm in plenilunijs: præsertim, cũ Maginus ex Appendice progymnasmatum adduxerit aliqua, quibus dubia efficitur hæc diversitas. Habebit ergò Tabb. fol. 98. Diametrum Lunæ constantem.*

Distantiis a Terra] *Pro distantijs sunt Parallaxes, in Tabella eâdem.*

Et reliquis ad computum Eclipsium necessariis] *Rectè monet. Sunt etiam præcepta necessaria: præsertim Cap. XXXI. Præc. fol. 99. & seq. Præcepta à 145. ad 153.*

Forte etiam extabit nova aliqua Hypothesis Lunæ] *Offensus multiplicibus Tychonis Epicyclis, optat hypotheses simpliciores. Habet ergò in Tabb. Eccentricum simplicissimũ, planè similem Eccentricis cæterorum; docere poterit suos Sinenses, Eccẽtricos hosce (etsi in Luna nihil interest, præsertim ad Eclipses, quàm sint ij perfecti) tamen si rerum naturam spectemus, non esse perfectos, sed degenerare in viam Ellipticam, in proportione hac, vt Eccentricitas, vsurpata vt sinus, ostendat arcum, cujus arcûs sagitta, sit modulus ingressûs Planetæ in longitudine media à*

cir-

circuli perfectione verſus centrum: vt quia Eccentricitas in Luna eſt 4362. hujus vt ſinûs arcus eſt 2.30'. Complementum. 87.30'. hujus ſinus 99905. Ergò reſiduum hujus ad ſinum totum 100000. ſcil. 95. eſt ſagitta arcûs 2.30'. & tantula eſt latitudo Meniſci, qui per veram viam Lunæ à pfecto Eccentrico reſcinditur.

Quòd ſi etiam ſcire aveant Sinenſes, quid cauſæ ſit, cur Luna Eccentricum ſuum perfectum, quem inſiſtit in omni ſuo ſitu Apogæo vel Perigæo, deſerat in ſitibus reliquis intermedijs: docere poterit ipſos P. Terrentius ex Commentarijs meis Martis, exq; Ep. Aſtr. Copernicanæ: nullos eſſe circulos in intentione motoris cœleſtis; ſed fieri neceſſitate materiali, hoc eſt, geometricâ; vt ex concurſu duarum cauſarum moventium, quarum altera ab occaſu in ortum in Gyrum rapit, altera rectis lineis Lunam verſus terram & à terrâ librat, fiat via Elliptica. Harum cauſarum prima ineſt in ſpecie immateriata telluris. [Loquar autem ex ſuppoſitione Terræ quieſcentis in primo motu. Clariora eſſent omnia futura, ſi motum, quem dicimus primũ, Terræ nunc vellem adſcribere, quieſcente mundo reliquo.] Nam quia per revolutionem primi mobilis diurnam, fit aliqua à Terræ ſuperficie ſeparatio totius mundi reliqui, vel ab egrediẽte ſpecie immateriata Telluris: Luna verò non eſt innexa clavis in mundo, ſed natat in eo, quaſi libera: fit jam, vt illa adhæreſcat ad Telluris ſpeciem quâdamtenus. Vellet enim inertiâ ſuâ ad motum proprium, quieſcere in illo ſuo nido, quem habet in mundo, eiq; ſeſe totam permittere rapiendam. Ita fieret, vt primo mobili circumeũte, ipſa fixis ijſdem ſubſtans immobiliter, perfectiſſimum circulum æquatori parallelum ab ortu in occaſum ſcribere cenſeretur circa Terram. Vellet hoc, inquam, Luna, obſecundans ſuæ inertiæ ad eripiẽdam ſe motui primo per motum proprium: ſed quia irretitur vinculis quaſi magneticis telluris, ſeu ſpeciei telluris, egredientis vſq; ad ſe (cujus ſpeciei egreſſus argu-

mentum est etiam in tractû aquarum, vnde fluxus & refluxus maris) ideò fit, vt inertia ejus, seu potius vis illa totius mundi retinens illam, superetur à vi telluris ex portione tricesimâ. Hæc causa est, quò minùs Luna motum primi mobilis exactè insequatur in occasum, sed restitet & relinquatur, dietim tricesimâ parte in orientalem plagam. Et hæc relictio, speciem induit alicujus motus ab occasu in ortum sub Zodiaco. Porrò hic motus esset iterùm circulus perfectissimus, si non accederet causa secunda, faciens Lunam aliter atq; aliter à Terrâ distare. Hæc causa secunda inest in ipsâ Lunâ, in fibris nimirùm magneticis rectilineis corporis Lunaris, quæ altero termino petunt terram, altero fugiunt à terrâ; dùm interim axis iste fibrarum in situ sibi ipsi parallelo, circa terram, mẽstruo paulò minus spacio, circumfertur, alternis nunc hoc, nunc illud extremum obvertẽs Terræ. Ex hac inquam mixtione duorum motuum, enascitur via Elliptica, quod methodo legitima geometrica demonstrari potest. Et ob hanc causam in Tabb. Rudolphi titulo ex ære, ad latus dextrum Geometriæ, apposita est Magnetica.

Si amplius docendi sint Sinæ, quare æquatio maxima Lunæ fiat Gr. 5. 0'. cùm Eccẽtricitas 4362. det tantum dimidium 2. 30'; poterunt ad alterum, è dextris, Idolum, Stathmicæ scil. ablegari. Luna enim in altissimum à Terrâ locum enavigans, imbecilliùs prẽsatur à specie Telluris, & minori effectu retinetur; eoq; diutius moratur in aliquo gradu sui menstrui circuitûs, quàm si proximè terram perigæa steterit. Et cùm hoc pacto moræ Lunæ in partibus æqualibus circuitûs, sint in proportione distantiarum Lunæ: demonstratur rursus viâ Geometricâ, Summam distantiarum inesse in areis triangulorum, quæ formantur in plano Eccẽtrici, super lineâ Eccentricitatis Lunæ. Vt ita calculus sit instructus geometricis Schematibꝰ, seu circulis perfectissimis, ex ipso con-

concursu causarum moventium legitimè enatis: quamvis in re ipsa, seu in ipso vero motu Lunæ nulli sint circuli perfecti.

Hæc est ergò Hypothesis Lunæ, nova quidem, si priorum Artificum Hypotheses respicias, ex Circulis Eccentricis, concentricis, Epicyclisq; compositas; non nova, si compares cum Planetis cæteris, qui suos Eccentricos sic ordinant circa Solem: non etiam nova Terrentio, si tempus annorum 26, quod ego, ipso adhuc nobiscum in Europa versante, in his speculationibus insumpsi, in considerationem adduxerit. Pergit P. Terrentius.

Non dubito prodiisse Keppleri Hipparchum.] *Prodijt, si effectum respicias, in Tabb. Rudolphi, præsertim in allegatis folijs, in Parallaxibus sci. Solis & Lunæ, semidiametrisq; Umbræ, & præceptis eas formandi: non prodijt, si demonstrationes desideres. Sed proxima erit editio, si vitam DEVS concesserit. Præcipuam partem occupabit Sciametria, quæ constat demonstrationibus Geometricis jucundissimis, quibus quantitas diametri umbræ, cum parallaxibus Solis & Lunæ, & semidiametro Solis, arctius connectitur; quod hactenus fuit neglectum ab artificibus.*

A Yao rege famoso incipiunt suas historias Sinæ; a quo numerant annorum fere 4000.] *Tantundem nos à diluvio. Et quid si hic sit Ion, vel Javan, vel Persicâ pronunciatione apud Aristophanem,* IAON, *Iapeti filius, cujus posteri navibus delati, ut mari Ionio in Insulas Gentium, seu Europam, sic etiam mari Rubro & sinu Persico, in Indias & Sinas. Pauca illa, quæ de Temporibus & æris Indorum habemus apud Scaligerum, sapiunt originem Syriacam, Damascenam, Arabicam. Etsi scio, verisimilius originem Sinarum vel à Semo derivari (per Arbaxadum & Jectanem fratrem Hebri; ut cujus numerosi filij, usq; ad Sapphyrum Montem Orientis locantur.*

Fortè Emodi montes aut Imaus, ab Elmodad cognominati, vbi Tao possit esse Iobab) vel à Japheti filijs Magog, Madai, Mesech vel Thubal, quia ab hoc Tartari, Sinarum contermini ad Septentrionem.

Numerant procedendo per Cyclum 60 annorum.] *Admonet me numerus, Sosorum, quos cum Neiris & Saris, apud Eusebium & Hesychium, & Georgium Syncellum, reperit Scaliger, ex Aniano, Panodoro, Apollodoro, Abydeno, & Beroso transscriptos. Sarus dicitur habere 3600. annos, Nirus 600. Sosus 60; Temporum vocabula Chaldaica. Eusebius fabulosa putavit omnia, vt Georgius Syncellus perhibet in ejus defensione: Anianus & Panodorus subtilitate vsi, sperarūt se ad veritatis confinia Berosi narrationes adducturos, si anni vocabulo diem intelligerent. Ita Sarus esset dierum 3600. tempus paulò minùs quàm 10 annorum, Nirus dierum 600, seu 20 Mēsium Ægyptiacorum, Sosus dierum 60, seu bimestre tempus. Scaliger Isag. Can. fol. 248. tres Saros creat, vnum maximum, 3600. annorum, seu 30 Sarorum Periodicorum, quorum quilibet 120 sit annorum, quanto tempore ex diebus intercalarijs conflatur vnus Mensis; & Sarum minimum, dierum 30. De duobus minoribus authoritatem allegat nullam: allegat verò linguam Chaldaicam, in quâ & Luna, quæ 30 diebus circumit, & Mensis, totidem dierū, vocentur SARA, vt Arabibus Sahar vel Schehar. Transtulisse deinde vocem illos, ad similem collectionem, triginta non dierum, sed quadrienniorum, in vnam periodum 120. annorum; & deniq; ad aliam tricēariam collectionem Periodorum in Sarum maximum.*

Quicquid sit vel rationis, vel authoritatis; accedere, saltem his Sosis, videtur aliqua jā verisimilitudo ex relatione P. Terrentij, de Sinarum Cyclis. Post Chaldæos enim sunt Indi, post Indos Sinæ. Et memorabile est, Indis in vsu esse annorum Dodecadas,

das, cùm Cyclus annorum 60 habeat dodecadas quinque. Sed Dodecades, causâ (seu superstitione potius) nituntur Astrologicâ: qualis est in capite Astrologiæ, de Profectionibus Annuis. Sexagenarij Cycli causa videtur sola concinnitas arithmetica, non motus cœlestes. Nam Epacta Julianorum 60. Tabb. Rud. fol. 99. est D.3.H.7. $12^{\prime}.39^{\prime\prime}.54^{\prime\prime\prime}.19^{IV}$. Ergò anni 60 sunt tres Cycli Metonici & triennium. Hac viâ non alludit Luna ad Sexagenarium annorum numerum. Sunt quidem in annis 59, menses 730. Cyclus Pythagoræ, & Oenopidæ Chij: sed desunt totidem tropicis, dies circiter 7. Et 59. non sunt 60. Possemus quidem illos 23 dies intercalarios, in annis 3000. omittendos, possemus inquam sic illos distribuere in sexagenarios Cyclos, seu Sossos; vt currerent alternis pleni & diminuti suo intercalario vltimo, vsq; in 13mum ter, & semel in 11mum. Vt hic.

120	120	120	120
120	120	120	120
120	120	120	120
120	120	120	120
120	120	120	180
180	180	180	

At non est verisimile, Sinas ob intercalariorum omissionem ex anno Juliano, Cyclum excogitasse annorum 60. 120. vel 180.

Æquabilior etiam fit annus tropicus, si intercaletur lege solutâ à Cycli brevis rationibus, vt suprà dictum.

Eo tempore obseruarunt Solstitium prope cuspidem Sagittarii, non memini gradus: ita vt iam hucusque processerit vltra 52. gradus: congruit multum cum Tychonicis.] *Primùm de motu præcessionis Æquinoctiorum, verum est, Tabb. Rud. fol. 43. annis 4000. competere 56.$40^{\prime}.1^{\prime\prime}$. Secundò de processione, confirmatur lapsus memoriæ initio notatus; Æquinoctia & Solstitia non processerunt sub fixis, sed præcesserunt. In Cuspide Sagittæ stella, Tabb. fol. 111. & 116. fuit anno 1600. in 25.$30^{\prime}$. Sagittarij. Si Sol apud hanc stellam confecisset solstitium hybernum ante annos 4000: hodie conficeret id, existens apud*

Fixas in 30 Libræ, scil. apud fimbriam Virginis. Non est igitur aliqua fixa ex Constellatione Sagittarij hic intelligenda. Tertiò ergò perpendatur, quid sit Sinis, Cuspis Sagittarij? Cuspis est extremum punctum Sagittæ: quid si hic sit, Extremitas hujus Dodecatemorij? Et tunc semper hoc verum est, & omnibus sæculis, quòd Sol versans in extremitate Sagittarij, seu vt nos, in principio Capricorni, conficiat solstitium: hoc est, quòd illud sit habendum pro fine Sagittarij, in quo Sol existens, conficit solstitium humile. Confirmat meam interpretationem, quòd P. Terrentius dicit, se non meminisse gradus. Procul dubio non invenit additum numerum. Nam eo ipso, quòd Cuspis, seu Exitus nominatur, tricesimus signi gradus intelligitur. Quartò diligenter perpendatur, quomodo observaverint. Stella certè nequit observari, apud quam Sol consistit. Forsitan igitur hæc non est observatio, sed computatio retrò extensa. Nam ipsa celebratio imaginis Sagittarij, multò recentior videtur: tribuitq́ eam & Arietis imaginem Plinius Cleostrato, & maximam signi declinationem Diogenes Laërtius, vni Philosophorum, fallor an Anaximandro? paucis ante Christum sæculis.

Paulo post tempora Yao notatur insignis Eclipsis, quæ dicitur contigisse in 2. Gr. Scorpii. Annũ dant: nescio an et hora, et magnitudo sciatur.] *Dico, quæ prius, Imaginatio Scorpij, Observatio & adscriptio Eclipsis, res sunt posteriorum sæculorum. Itaq; puto hanc Eclipsin esse ex calculo illorum, retrò extenso. Aliàs, si vera observatio esset, si annus certus adderetur, præstantissimum esset antiquitatis monumentum, ab annis 4000; cùm antiquiores nõ supersint nobis, quàm ab annis 2300. Facilè discerneretur per locum 2 Scorpij, Solis esset an Lunæ.*

Fractiones in quantitate anni circa tempora Yao diligenter adhibuerunt.] *Amplius confirmor de calculi illorum extensione in antecedentia tempora. Nam fractiones in quantita-*

titate anni, nequeunt cognosci statim in principio temporis observatorij: requiruntur enim multa sæcula, prius quàm hæ fractiones addiscantur. Interim si assueverunt, Fractiones anni adhibere; benè est; grata erit ipsis hæc ex Tabb. Rudolphi fractio $\frac{727}{3000}$ $\frac{1454}{3000}$ $\frac{2181}{3000}$ *Int.* $\frac{2908}{3000}$ $\frac{635}{3000}$ $\frac{1362}{3000}$ $\frac{2089}{3000}$ *Int.* $\frac{2816}{3000}$ $\frac{545}{3000}$ *&c. vbi 2181, & 2089. superant 1500. excessu minori quàm 727; sunt igitur intercalarij.*

Nuper vidi problemata Geometrica *15,* quæ superant *3000* Annos.] *Esto, Euclides ante 1900. annos collectorem egit problematum, seu Theorematum antiquitùs notorum. Confirmamur igitur, Sinas originem ab Ionibus ducere; mari quippè Rubro vel Persico delatos in Orientis Insulas, indeq; in vicinam continentem.*

In iis primum est, penultima primi.] *cujus tamen inventi gratiam Græcus ille deastro suo habuit, Hecatombæ in vicem Bove immolata.*

Ingrata posteritas

Zodiacum dividunt in *28* Constellationes.] *Arabum mos, qui, Mansiones, eas appellant, Lunæ; nec enim alia causa numeri, quàm motus Lunæ periodicus, tot dierum.*

Scorpium vocant Draconem, Caniculam Lupum, Capricornum Bovem.] *Videatur Azophi Arabs, sicubi superest. Exemplar enim ab Apiano promissum, conflagravit Ingolstadij, in ædibus Angermarianis. Mirum, nisi tota Sinensis astrorum disciplina, sit à recentioribus Arabibus transsumpta.*

Stellam posteriorem Vrsæ minoris vocant Regem, quia olim erat prope polum immobilis, quam reliquæ omnes venerabantur.] *Si hæc P. Terrentius ipse, persistit in hallucinatione superiori. Imò nunquàm propior fuit hæc stella*

polo

polo mundi, quàm hodie: sin traditio est Sinarum, arguit nuperam apud ipsos notitiam. Scripsit Pytheas Massilius ante Hipparchi tempora; locum, in quo polus mundi, stellis esse vacuum; circumstare eminùs tres stellulas, quæ cum loco poli, quadrilaterum efforment.

In suo computo non errant vltra *2* aut *3* quadrantes, quod mirum in *4000.* annis non plus variasse.] *Considerandum, jactentne hoc Sinenses, an de quarundam Eclipsium experientia loquatur ipse P. Terrentius. Si illi; probent igitur priùs fidem historiarum & observationum suarum, habitarum ante 4000. annos. Nam suprà suspicatus sum, Eclipses illas esse ex calculo retrò extenso. Sin iste; meminerit, à consensu paucarum præsentis temporis in Capricorno vel Cancro, non sequi ad consensum in Ariete & Libra; quod probatur exemplo calculi Pruthenici & Alfonsinorum: multò minùs ad consensum Eclipsium antiquissimarum.*


Ex Changtscheu.] *Paulò seriùs copia mihi fuit hujus Epistolæ facta, cùm in Tabb. Rudolphi, Catalogus locorum typis jam esset expressus: comparassem enim, si tempori accepissem, literaturam hanc* Changtscheu *Terrentij, cum* Chanzoy *Chrysococcæ,* Xiancii *Kærij,* Quianci *Jansonij, &* Quinsai, *M. Pauli Veneti. Communicet verò nobiscum P. Terrentius altitudinem Poli illius loci, aut altitudinem Solis exactam in certa meridie, & Eclipsin vel vnicam, astronomicè illic observatam; communicet & consuetudines gentis, in dispositione dierum anni, quid statum & fixum habeant, quid vagum & mobile esse patiantur; quodnam anni caput observent, certumne sidus anni, an vagum initium, vt Sarraceni: & juvabimus ipsum in typo anni conformando, qui & cælo respondeat, & Sinis acceptus sit; denique in persuadendis Genti legibus non Calendarij tantùm*

nostri,

14

nostri, sed totius etiam jugi suavis Christianismi. Quod ratum esse velit is, cui PATER æternus gentes in hæreditatem dedit, CHRISTVS JESVS, DEVS & homo, DOMINVSq́ noster, Amen.

Perscriptum Ratisponæ Mense Decembri
ANNO M. DC. XXVII.



APPENDIX.

QVia Ephemeris motuum coelestium in annum hunc M.DC.XXX. edi nondum potuit: non ingratum me facturum putavi studiosis Astronomiæ; si ex descriptione Eclipsis Solis insignis, quam visuri sumus die 10. Iunij Gregoriani, apotelesmata calculi Rudolphini huic Comentatiunculæ subjungerem, eisque folium vacans expleretur.

Igitur die jam dicta, quando Vraniburgi, Ambergæ, Romæ numerabitur a Meridie Hora 3.49′, Sol in Oceano Australi Californiæ, tunc demum oriens, incipiet deficere a dextris infra: sub alt. Poli Borei 13. et Meridião, qui Gr. 151. distat a b Vraniburgico in Occasum.

Ab hoc temporis momento Sol occidentalioribus locis orietur magis magisque tectus; nisi quod quolibet momento duo sunt loci, vbi Sol in ipso principio defectus oritur, vnus australior, alter septentrionalior.

Hoc incrementum defectus in oriente Sole, durat vsque ad horam Vraniburgicam 4.56′. a Meridie: tunc Sol, totus post Lunam reconditus, orietur in eodem Oceano, sub alt. Poli Borei 25, et Meridiano, qui Gr. 174. distat in Occasum, descendens quasi a Sierra Nevada. Locis orientalioribus et Novæ Hispaniæ vicinis, Sol, jam alte incedés, deficiet ex parte.

Post id momentũ jam sequuntur loca vlterius versus Occasum, quibus Sol in aliquo defectu oritur, sed eo jam decrescente: et hæc loca successive sparguntur in Septentrionem. Estque eorum vnus in Zona frigida, sub Meridiani, qui per Terram Laboratoris ducitur, semicirculo opposito; cui Sol in ipso medio durationis omnimodæ, Horizontem stringens in ipsa media nocte, deficit 3. digitis ab Austro.

At in Terra Laboratoris, sub alt. P. Borei Gr. 60. centum et vno gradibus in Occasum ab Vraniburgo, Sol in ipso Nonagesimo gradu ab ortu, scilic. in 19.36′.14″. ♊, totus deficiet, elevatus $52\frac{1}{2}$ gradibus; eo momento, quo Vraniburgi erit hora 6.26. post meridiem.

Hæc mera nox ad 22 milliaria Germanica porrigetur in diametro defe-

ctus

ctus vero Solis ſeptentrionalis, eodem gradu oriente, ſentietur toto tractu Americæ ſeptentrionalis, vſque infra Virginiam et Floridam.

Pergens autem hæc nox mera, ſeu vmbra Lunæ, per terram Cortereälis, et per Oceanum Septentrionalem, deſcendit in Cantabricum et Britannicum: trajectaque Gallia et Pyrenæo, vltimis Catalaunis, inque ſinu Narbonenſi et Maſſylienſi Sole occidente, terras deſerit; quando Vraniburgi numerabitur Hora 7.57′. Hoc itinere magnum Solis defectum importat toti Europæ; Meridionalem quidem Scotiæ, Angliæ, Daniæ, Germaniæ et Galliæ citeriori; Septentrionalem vero Hiſpaniæ, et Africæ.

Ante hoc momentum loca orientaliora Solem videbunt occumbere in defectu adhuc creſcente.

Et vt brevis ſim; Vienna Auſtriæ, ſedes Imperatoris, Domini mei, Horæ 6.48′. Vraniburgica, quæ Viennæ numerabitur Hora 7.13′, videbit initium inter partem dextram et imam. Poſt 42′ ſeu tres horæ quadrantes, Sol occidet, paulo ante maximam obſcurationem, Menisco ſeu cornu lucido cernuo, ſed ſiniſtra parte humiliori; Lincii dextra parte humiliori: penes nos Sagani quã proxime erecto, ſed ſerius, Hora nobis 8.10. apparẽti: at verſus Rhenũ ſupino et reclinato verſus dextrã ſuperiori acumine. Et Viennæ quidem occumbet ante medium, quantitate Digitorum 8 $\frac{2}{5}$; Lincii vero pene ſub ipſum medium, digitorum plus quam decem; Sagani denique poſt medium, iam decreſcens, cum adhuc tecti erunt digiti 7 -; quorũ in maxima obſcuratione fuerant 9 $\frac{2}{5}$.

Verſus Rhenum et in Gallia poterit fortaſſis effulgere Mercurius in fine ♊ *: prope pedes huius imaginis.*

Pro locis Terarum ſingulis ſervient ſchemata mihi vſitata, iucundiſſimo exercitio manuario, per regulam et circulum, ſi cui et lubido et ocium, ad inquirendum compendioſe, quicunque locus terrarum, quocunque momento durationis omnimodæ, an, et quot digitis, et in qua Solis altitudine, ſeu qua diei hora, Solem viſurus ſit deficientem: et id, creſcente defectu an decreſcente. Sed heus vos! ſint vobis, pro Circino, Ratio; *pro Regula,* Lex Dei; *pro Diſco terræ, a Sole illuminato,* Gratia Dei; *pro vmbra Lunæ,* Peccata propria; *pro Penumbra* Participatio de peccatis alienis. *Agite, metimini ſinguli: et ſi lubet, Prognoſtica etiam ſcribite, pro ſe quiſque, ſuaque patria et manſione.*

Aſtrologi ſpeculabuntur Martem cum corde ♌, *ex domo Mortis ſextili Luminaria aſpicientem, et Romam Leoni ſubiectam. et ſignum Deliquii bicorporeũ, et Mercuriũ dominũ ſigni in domo propria, in Sextili Saturni elevati in medio coeli; et anno 1415. die 6 Iunii ſimilẽ Eclipſin in Europa, ſed matutinam; qui ex hiſce principiis ad ſpecialia magis deſcendere, facilius ſibi eſſe credent, quam tutius. Comparet vero quiſque ea, quæ ſub manibus iam nunc verſantur. DEVS nos adiuvet.*

15. Ianuarii 1630.

FINIS.



Ame-

alis, et
n: tra-
t Maſ-
Ho-
ridio-
pten-

n de-

Horæ
inter
paulo
par-
recto,
erſus
itita-
n de-
digiti

fine

ſſimo
d in-
du-
diei
ente.
erræ,
nbra
gno-

mi-
ũ, et
eli;
hiſ-

